



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Decimis. Consilium CCCCXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

chiali, d. c. ad audientiam. Ex quibus intelligit D. Pastor, quam rationem in hac nova erectione aut permittenda aut oppugnanda sequi debeat.

De Decimis.

S V M M A R I V M.

Decimarum jus cui competat.

1. Pastor Ecclesia fundatam habet intentionem ad percipiendum decimas.
2. Decimas possidens alio iure, quam pastoris de privilegio Apostolico docere debet.
3. Colonus an pro conductore idoneus testis sit.
4. Affinis an idoneus sit testis.

CONSILIVM CCCCXXXVIII.

IN veritate probationis consistit difficultas causa, quæ est de iure decimandi inter Waltherum Lupum Actorem, & Arnoldum Geens Reum. Sunt enim probationes utriusque partis in concursu dubiæ & perplexæ; ita ut in re obscura secundum Reum faciendâ sit sententia absolutoria, §. commodum Instie. De interditi. l. Arianus De oblig. & act. Idque eo magis, quod Actor ex parte Domini Decani S. Dionysii Leodiensis agens, iure communis fundatam non habeat intentionem. * Vt enim Curatus seu Pastor cuiusque loci ac districtus fundatam habet intentionem percipiendi decimas in sua Parochia, sic ut probare non debeat eas iure ad se spectare; quia à iure ei sunt tributæ, can. Statutum xvi. q. 1. c. A nobis & ibi Card. & Ioan. Andr. & c. cum in tua, c. Cum contingat, De decimis, c. fin. de paroch. * ita alij alterius Ecclesiæ Decani, Canonici, aut Curati in aliena Parochia jus percipiendi decimas communiter non habent; ideoque necessarium est, ut vel de privilegio Apostolico, quod eis huiusmodi decimæ concessæ sunt, liquidò constet, vel de præscriptione quadragenaria, præcedente iusto titulo, c. 1. de præscrip. lib. 6. aut eo deficiente de præscriptione temporis immemorialis, d. c. 1. in fine. Vnde rectè dixit Rebuffus, in tract. de decimis q. 13. nu. 8. quod si Monasterium vel Canonici in Parochia aliqua dicant, decimas ad se pertinere, hoc probare debent; & titulum ostendere; videlicet Papæ vel Episcopi concessionem; item se possidere eas ratione illius tituli per quadraginta annos: alioqui etiam spoliati non restituerentur. Quæ verba ad casum subiectum sunt accommodatissima. Nam licet pro parte Actoris articulatam sit, Decanatum S. Dionysii à tempore immemoriali possedisse decimas in Godtsenhoven, & sub ijs contineri agrum, de cuius fructuum decimis pro anno quinquagesimo agitur: pro parte tamen Rei negata est universalis decimarum ex omnibus agris & fundis sub Godtsenhoven sitis percipiendi facultas & usus; & signanter ex agro controverso. Iam verò super ea allegatione Actor nullos omnino testes produxit, nec instrumenta protulit; ita ut generali capite ac fundamento suæ intentionis destituatur: præsertim quia per testes Rei constet, hunc controversum agrum esse sub Parochia de Grimpde. Et quamvis tres testes per Actorem producti videantur deponere de perceptione aliquot annorum; videlicet primus de quoddecim,

secundus de viginti, tertius de septem: annis nemo tamen de quadragenaria possessione, nec illius titulo, & multò minus de immemoriali deponit. * Cum ex adverso primus sit subarrendator decimæ Decani S. Dionysii; cuius interest usum decimæ latissime patere: sic ut ejus testimonium hic sit inidoneum, Gloss. in l. Omnibus C. De testib. Cum alioqui generaliter colonus, etiam extra id, quod contingit jus, emolumentum, vel damnum conductionis, non sit integer omnino testis pro domino locatore, quia quodammodo ejus domesticus est, l. præsentis §. fin. C. De hi qui ad Eccles. confug. DD. in l. Etiam C. De testib. Carol. Raim. consil. 71. Circa processum nu. 14. vol. 2. qui præterea decimam controversam violenter eripuit, & tandem melius instructus restituit. * Secundus affinis est Actoris; cui in paucitate testium, eorumque non omnino integrorum pro affine credi non debet: nam & affinitas domesticitati proxima est, DD. in d. l. Etiam. Tertius ex tempore non verosimilia deponit; idque tantum de septem annis, quod in proposito casu non sufficit: quia hic petitorio, non possessorio agitur, uti evidentissimè ex tenore conclusionis in hac causa capta constat. Quibus si addantur testimonia partis reæ, nihil videtur dubitandum de absolutione ejusdem Rei, quia de violenta collectione decimarum ex parte Actoris factâ, deponunt, & præterea de testibus aliquando per collectores præfati Decani decimis in hoc agro controverso collectis. Cum ergo Actor de iure auctoris sui non docuerit, eiq; adversetur juris communis dispositio, & paucorum annorum infra quadraginta possessio non sufficiat, præsertim quod petitorio, non possessorio hic agatur; existimo partes Domini Officialis esse, ut Reum ab impetitione Actoris absolvat; Actore in expensis condemnato.

De Decimis.

S V M M A R I V M.

Decimarum præstatio ex terris Ecclesiæ.

1. Decima debent etiam bona feudalia.
2. Decimas curi Levita olim non dabant.
3. Decimas clerici ex suis bonis dare debent.
4. Episcopus quando ut laicus censetur in bonis temporalibus.
5. Surrogatum induit naturam eius cui surrogatur.
6. Decimarum præstatio an præscribi possit ut non solvantur.
7. Decima etiam ex bonis Ecclesiæ solvenda.
8. Intellectus c. 2. De decimis.
9. Ecclesia non debet locupletari cum detrimento alterius.
10. Clerici an decimas debeant ex fundis quos colunt proprijs manibus aut sumptibus.
11. Decimarum immunitas non inducit ex non præstatione.

CONSILIVM CCCCXXXIX.

RESPONDENDO ad dubia per Dominum Assessorem mota, dicimus paucis * ad primum, quod literæ releviorum nihil faciant ad demonstrandum, bona, quæ in feudum ab Episcopo Leodiensi tenentur, à decimarum præstatione esse libera; sed quod satis sit

fit parti appellata, regulam pro se habere, quod omnia cuiuscumque generis bona sint obnoxia decimarum prestationi, c. *Non est in potestate De decimis*; & quod nullo jure cautum invenitur, feudalitia bona esse ab illis immunia & exempta.

2 Neque sanè multum momenti habet argumentum, quod à Levitis ex lege Mosaiica deducitur, c. 2. *De decimis*: quasi scilicet hæc bona olim fuerint Episcopi Leodiensis, & eo tempore non præsumantur fuisse decimis obnoxia, quia clerici à clericis decimas non accipiunt, d. c. 2. ut nec olim Levitæ à Levitis, d. c. 2. Nam Levitæ olim nihil nisi decimas possidebant; ut mirum non sit, si ex illis decimas non præstarent, d. c. 2. & ibi DD. *Rebuff. in tract. de decimis. quest. 5. nu. 6.* * Ut nec hodie clerici præstent personales decimas, sed prædiales præstare debent; non tantum de fundis suis patrimonialibus, verum etiam de fundis sui beneficii, si in alia Parochia siti sunt; etiam si sint fundi dotales ipsius beneficii, *Panorm. in d. c. 2. nu. 6. Franc. Balbus de præscript. in 1. part. quinta princip. q. 7. nu. 3.* cùm à primævâ naturâ & conditione fundorum, onus decimarum ijs infit, & eos sequatur, dum per laicos in Ecclesiam transferuntur; quia res quælibet cum suo onere transit, c. *Ex literis De pignorib.* Sic quod audent dicere liceat has terras numquam fuisse apud Episcopum Leodiensem sine onere ac servitute decimarum; multoque ob id minus esse debeant apud eum, qui ex concessione feudi, aut alio simili jure ab Episcopo eas tenet: ita ut argumentum ductum à prima natura rei non corruptenda aut mutanda per locationem seu censualem, feudalem, aut emphyteuticam concessionem, planè hîc sit idoneum.

4 Et ne solâ juris ratione ac præsumptione, causa appellati hic sustineatur, hoc amplius dicimus, ex literis relevij constare, hæc bona jure feudi moveri ab Episcopo Leodienti; non ut Episcopo, sed ut Comite Loffensi: in qua qualitate cùm laicam personam sustineat, censeri debet ut laicus; & sic quoque bona ut profana, ideoque ex regula generali decimis obnoxia, *Præses in loco à tamquam seu respectivis.* Quinimò ex historiis constat, vide Ioannem Placentium in catalogo Antistitum Leodiens. in vita Adolphi 49. & Ioannis 48. Episcop. Comitatum Loffensem, moriente Ludovico novissimo Comite Loffensi, in anno 1330. venisse ad Episcopum Leodiensem, & pacificè primùm possideri cœpisse à Ioanne quadragesimo octavo Episcopo, qui mortuus est anno 1378. à quo Ioanne auctores Appellantis, & post eum ab Arnolde ejus immediato successore, hæc bona relevaverunt; ut ex numero datarum literarum colligere licet. Sic ut si Appellans antiquiores literas releviorum proferre voluisset; liquidò constitisset hæc bona à Comite Loffensi, non Episcopo Leodienti fuisse relevata. * Cùm ergo secundum regulam superiùs positam, hæc bona non potuerint esse immunia, quamdiu à Comite Loffensi jure feudi tenebantur; nihilo magis libera deinde esse potuerunt, ex eo, quod ex donatione Comitiss Loffensis, Comitatus ipse accesserit ad Episcopatum; cùm eodem jure censeri debeat successor, & surrogatus, quo is, cui succeditur, c. *Adversis De*

immunit. eccles. est expressus text. in c. fin. §. penult. De decimis. lib. 6. Ita ut cùm præsupponi non possit, nec probatum sit, Episcopum Leodiensem gaudere jure immunitatis decimarum in bonis Comitatus sui Loffensis; inferri quoque non possit bona Vassallorum suorum esse exempta aut libera.

6 Quod secundo loco movetur ex longissima & immemoriali possessione præsumi jus constitutæ libertatis, ac privilegij immunitatis à prestatione decimarum; huc applicari non potest: cùm sit communis opinio Doctorum, l. *Hoc iure §. d. d. aqua De aqua quodid. & asiva*, laicum nullo temporis curriculo præscribere posse totali decimarum prædialium prestationi; & ne quidem mille annis, *Felin. in c. causam que in princ. de præscript. latè Franc. Balbus d. quest. 7. nu. 5. Rebuff. in tract. de decimis quest. 13. nu. 55.* Et quamvis quidam sint in eâ sententia, præscribi posse per immemoriale tempus, *Covarr. Var. resolut. lib. 1. cap. 17. nu. 10.* non potest tamen ea sententia ad hanc causam trahi: ob id, quod satis evidenter constet, hos fundos, de quorum decimis nunc agitur, antea fuisse silvas; ex quibus generali consuetudine ferè per totum orbem obtinente, *Covarr. d. cap. 17. nu. 8. vers. Septimò*, non præstantur lignorum aut glandium decimæ: quod ita per consuetudinem & præscriptionem induci potest: diminui enim his modis, non tolli possunt decimæ. Ita ut argumentum duci non possit ab acquisita exemptione solvendi decimas certi generis frugum, ad decimas frugum alterius generis, si in eo fundo eas nasci postea continget. Quemadmodum si quis in alieno decimatio decimam vini præscripserit, si terra postea aretur, jure præscriptionis non habebit decimas frumenti, *Ant. de Butrio in c. Commissum De decimis, Rebuff. d. quest. 13. nu. 6.* Quod autem Reus, ejusque auctores, quoad hos fundos immunes non fuerint jure soli ex præscriptione, sed tantum propter defectum materię; quia scilicet nihil decimabile in ijs fundis antea natum fuerit; ex eo constat, quod Reus apertè confiteatur alia sex bonnaria ad Reum pertinentia, quæ proximè contingunt à parte superiore, terras Natalis N. & à parte inferiore adjacent alijs sex bonnarijs Rei, de quorum decimis in hac causa agitur, à decimis non esse libera; ideoque illas Pastori fuisse solutas: ita ut cùm omnia hæc bona contineantur sub prædictis literis releviorum, eodemque jure feudali censeantur, non sit præsumenda aliqua eorum difformitas quoad præstationem decimarum, sed defectum præstationis quoad præteritos annos in eo fuisse, quod in aliquibus nati fuerint fructus decimales, in aliquibus non. Quare huc applicari non potest, quod proponitur de præscripta libertate in uno genere fructuum, extendenda ad alterius generis fructus: quia hîc non propter præscriptionem, sed per generalem consuetudinem non est priùs soluta decima; quia hæc bonnaria fuerunt silvæ, quæ dum nunc ex cultura fructus proferunt decimabiles, meritò decimarum prestationi subiciuntur. Atque ita existimamus nihil esse, quod Dominum Iudicem movere debeat, quo minùs duas priores conformes sententias confirmet: nihil conturbantibus prædictis literis relevij, ac præ-

tracta praescriptione. In quibus etiam ipse Appellans parum inducia videtur posuisse, quando in hac instantia ad captiosam illam fundorum designationem confugit, quasi ex his sex bonnarijs nunc primum ad culturam redactis, non sit petita umquam decima, sed bene ex alijs vicinis superius designatis; ideoque nunc illas per Appellatum non recte peti.

ADDITIO.

NE multum alterando veritas causa vel amittatur vel obscuratur; * in hoc constanter persistimus, regulæ generali, ut caroccio, hoc est signo militari, adherendum esse, *Gloss. l. 1. de reg. iur.* Ideoque hæc prædia, de quibus controversia est, decimarum præstationi esse obnoxia, *c. Ex parte canonicorum, e. Non est in homine de decimis*: quia generalis & certa regula est, ex prædijs Pastori, intra cujus Parochiæ limites sunt, decimas præstandas esse; etiam si clericus illa possideat, aut ab Ecclesiastica persona in feudum sint concessa, *c. nlt. de parochijs, c. Tua nobis de decimis*. * Et quod dicitur, clericis clericis decimas non præstare, *c. 2. de decimis*; ad personales decimas referendum est, non ad prædiales: quæ si fundi clericorum in alienâ Parochiâ siti sunt, Pastori loci omnino præstandæ sunt; non tantum ex fundis clericorum patrimonialibus, sed etiam fundis beneficiorum; præsertim (ut hic evenit) si non sunt dos aut prima fundatio ipsius Ecclesiæ, *Balb. in tract. præscript. 1. part. 5. princip. quest. 7. nu. 3.* sed accessio & augmentum: ut est totus Comitatus Loffensis, ex quo non est factus & erectus primum Episcopatus Leodiensis; sed illius accessione post multa sæcula in temporalibus auctus. Et hoc est, quod Panormitanus hunc articulum resolvendo, in *d. c. 2. n. 6.* sentit, omnia prædia habuisse annexum onus decimarum, ideoque licet à laicis tradantur Ecclesiæ etiam novæ, multo magis antiquæ, transibunt cum suo onere. * Ecclesia enim non est ædificanda de novo, multo minus locupletanda cum præiudicio alterius Ecclesiæ, *c. Ecclesiæ, c. Quicumque, 16. q. 1.* Alioqui hac ratione dicendum esset, in toto Comitatu Loffensi nullas decimas præstandas esse; quia Comitatus Ecclesiasticæ dignitati adiectus esset: cum tamen verissimum sit & notissimum, generaliter etiam ex feudalibus bonis, decimas præstari.

Nec hic distinguo inferiores clericos ab Episcopis aut Abbatibus; cum nullus in iure sit locus, qui id disponat: quamvis hoc quibusdam peculiariter sit attributum, ut ex fundis, quos proprijs manibus, aut sumptibus proprijs colunt, non præstent decimas. Atque ita etiam intelligendum est, quod in Concilio Moguntinensi, vel, ut alij volunt, Cabilonensi sub Carolo Magno permixtum est Episcopis & Abbatibus, ut curare possint ex huiusmodi agris deferri decimas ad suas Ecclesias, *can. Quest. xvi. quest. 1. c. Ex parte tua 2. de decimis. Ioann. de Turre Cremata d. can. Quest.* Quamquam Panormitanus restrictius accipiendo suas Ecclesias, intelligat, non proprias Episcopi aut Abbatis; sed parochiæ, sub qua fundi istorum siti sunt: cuius opinio fiet probabilior, si dicatur districtio, suas, abesse ab ipso Concilio, prout

plerique Collectores volunt. Quare nihil hic disputandum, quo iure censeatur Episcopus respectu Comitatus Loffensis; an Ludovici Comitatus oblatio fuerit Comitatus cum Episcopatu confusio? an accessio indiscreta? sed hoc attendendum, per accessionem Comitatus ad Episcopatum, non potuisse Vassallorum ejusdem Comitatus conditionem fieri meliorem cum præiudicio parochialis Ecclesiæ. Nam cum constet, hæc bona, de quibus queritur, numquam in utili dominio Episcopi fuisse, sed ante oblationem Ludovici Comitatus in feudum antecessoribus Rei fuisse concessa, non patitur æquitatis ratio, ut quia directus Dominus Vassalli nunc sit Ecclesiasticus, inde idem Vassallus onere præstandi decimas iure divino debitas liberetur, & Ecclesia parochialis iure suo inde privetur.

Quod adducitur de libertate decimarum ante Concilium Lateranense per Comites Loffenses usurpata seu obtenta, solâ negatione removetur: Regula enim generalis superius propoita id confutat; & si res postularet, probari posset verum non esse.

Quod dicitur decimas prius non esse præstas, id efficit (ut diximus) defectus materiæ, quod fructus decimabiles ex usu regionis ibi prius nati non fuerint; quia scilicet loca fuerint silvosa, primum ad culturam recentem redacta, uti ex actis constat: sic quod proinde cogitatio præscriptionis hic non cadat; sed admittendum sit, quod Didacus Covarruvias non de sola Hispania, sed de universali totius mundi observatione, non ex suo capite, sed ex alijs passim Interpretibus tradidit, *Var. resol. lib. 1. cap. 17. nu. 8. vers. Septimo eodem iure defenditur*; & ex usu in his regionibus comprobatum videmus, ut ex certis fructibus nulla solvatur decima, nec illius aliqua pars vel portio, *Paul. Castrens. consil. 17. in causa decimali vol. 2.* Cuius siquidem usus quoad silvas & loca silvosa, ratio esse potest satis probabilis, quod nimis discontinuè percipiuntur fructus ex majoribus silvis; quæ plerisque locis vix centesimo anno caduntur: & quod glandium decimæ passim abolitæ sint; quia insolitum sit in his regionibus illas legere, decutere, & inhorreare. Ita ut consuetudo non exigendi ex hoc medio causata, nihil arguat ad præscriptionem inducendam adversus novas, & alterius generis culturas; sed passim rejiciuntur allegationes eorum, qui contendunt ex tali consuetudine se esse in possessione non solvendi decimas. Quamvis alioqui communior opinio sit, ex sola non præstatione, non induci decimarum immunitatem seu præscriptionem, *Rebuff. de decimis q. 13. nu. 41. & 55. Covar. d. c. 17. nu. 8.* Itaque persistimus adhuc in eo, per Dominum Iudicem confirmandas esse præcedentes duas conformes sententias.

De Decimis.

S V M M A R I U M.

Decimarum præstatio.

1. 10. Decimas petendi intentionem in iure fundatam generaliter non habet nisi Pastor loci.

2. Decima